

**Programma Quo Collegium Iuris Consultorum In Academia Rostochiensi, as
Cohonestandas exequias, Viri Nobilissimi & Consultissimi Dni. Hermannii
Lembken/ ICTi & Profess. celeberrimi, Facult. Iurid. Senioris & p. t. Decani
venerandi ac spectabilis, nec non Syndici huius Urbis disertissimi, Hodie in
Ecclesia Mariana celebrandas Omnes Academicos & litterarum Fautores
officiose & amice invitat : [Datum Rostochii sub Sigillo Facultatis Iuridicae XVII.
Martii Anno M.DC.LXXIV]**

Rostochii: Kilius, [1674]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn773015086>

Druck Freier  Zugang




Fac. jur. Rost.


in

H. Lembke.

Rostock, 1674.

54





PROGRAMMA

^{Quo}
Collegium Juris Consultorum
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

ad
Cohonestandas exequias,
VIRI Nobilissimi & Consultissimi

DNI.

HERMANNI

Lembken

Icti & Profess. celeberrimi, Facult. Jurid. Senioris & p. t. Decani venerandi ac spectabilis, nec non Syndici hujus Urbis disertissimi,

Hodiè in Ecclesiâ Mariana
celebrandas

Omnes Academicos & litterarum Fautores officiose & amice
invitat



ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.



Salutem!

Non intempeſtiva eſt efflagitatio, nec officium abs humanitate alienum, quando illis, qui propter indeptam virtutis gloriam, perpetuum vivere merentur, publici in morte honores & funebris laudatio petuntur & decernuntur. Pius enim ille mos, uti à ſanioribus receptus eſt gentibus, ab illis, qui virtutem æſtimare norunt, ſanctè ſervatur, & ſummo præprimis jure, ad illos homines, qui de Republ. bene meriti ſunt, ornandos & in poſteritatis memoriam commendandos, refertur. Honesta atque inhonesta pariter laudare turpiſſimæ adulationis, aſt in mortuos calumnioſe inſultare ferinæ crudelitatis, juxta & abjectiſſimæ mentis argumentum, eſt, juſtitiæ autem regula, ſi præclara viri alicujus merita dignis poſt mortem honoribus exornentur: Vivit enim, ipſâ etiam invidiâ aſſertrice, poſt funera virtus. Infeſta erant & inimica virtutibus tempora

pora, quando capitale apud Romanos erat, ad pro-
dendam virtutis memoriam, sine venia aliquem lau-
dare. Turpissimi hodie mores sunt, quibus defun-
ctorum existimatio à pessimè enutritis sapiusculè læ-
ditur; Id autem illis maximè placet, qui, cum de-
cori nihil possideant, aliorum opinioni maculam la-
borant adspargere. Extremum miseriarum est, cun-
tis miser, esse qui tibi miseras objiciant, & beluina
ferocia, vel potius fæda timiditas, mortuum injuriis
onerare: sed prosequi defunctum, non tam ignavo
quæstu, quam promeritis laudibus, præcipuum ami-
corum munus est. Ab animi generosioris indole,
longissimè abest, explere, post fata hostis vel inimi-
ci, ulciscendi libidinem; sordidissimæ verò mentis, in-
jurioso sermone in illum invehere, contra quem lici-
tum fuit, cum viveret, jure experiri. Colchi mortuos
suos ex arboribus suspendebant; Chii in mortario
contundebant; Bactriani sepulchralibus defuncto-
rum corpora canibus devoranda, Iberi vulturibus di-
lanianda objiciebant, à quorum moribus corruptis-
simis omninò abhorrent, qui gloriosum existimant
honesto ad paratu terræ demandare, quibus de me-
liori luto finxit præcordia Titan. Ast nimium quan-
tum in barbaros illos mores hodiernum prouunt, &
belluis humana corpora turpiter objiciunt, qui ca-
lumniosa lingua defunctorum manes irritant & ita
ex alterius injuria sibi famam quærere, vel honestè

acquisitam gloriam suppressere, [falso opinionis errore ducuntur. Homerus Ulfissem fortem & magnanimum virum iudicat, quod corivalium procorum morte contentus, aliud vindictæ genus non expetit. Nihil siquidem bonæ indolis vel ingenuæ mentis habet, qui scabiosè rodit post fata virum. Quæ enim, dic fodes, fortitudo rursus occidere occisum? quæ audacia mortuo leoni insultare? quæ pietas contra defunctos gloriari? quæ demum gloria in cadaver esse acerbum? Nihil omninò laudabile aut gloriosum in defuncti vindictâ habebis, nisi juris rigor jubeat armari leges in exempli terrorem. Illiberale & plane sordidæ avaritiæ Platoni videbatur cadaver spoliare; Sed quis, quæ so, æquè sordidus & servilis animi, quam qui in focii cineres injuriote infilit. Uti canes frustra excandescunt & mordaces acuunt dentes adversus jactos lapides, sic cum ratione insanunt, qui in mortuorum famam inscendunt. Leones mortuæ animantis' carnes non attingere, multis persuasum est, sic animi leonini parcere defunctorum honori, canini autem rodere ossa cadaverum, secundum illud:

*Post mortem euge meam inbelles jactate cadaver,
Atque canes functi divexant membra Leonis.*

Æsopicus apologus est leporum, cadaveris leonini pellem vellentium, cum & mus vellere mortuo leoni barbam possit. Sed nulla major vel cordistimiditas,

tas; vel corporis debilitas, vel animi humilitas, quam cum validum membrorum robur, vel loquax viru- lenti sermonis audacia, in mortuum explicatur, aut quieti manes in forum raptantur. Polystratus Æli- anum acerbè perstrinxisse fertur, quod in defuncti Romanorum Tyranni, Imperatoris nomine cete- rum indigni, vituperationem scripserit, *eum se lauda- turum*, inquit, *si vivum accusasset*. Et parante Asi- nio Pollione Orationes in Plancum, quas post Plan- ci mortem in lucem ederet, Plancus false & scitè dixit: *cum mortuis non nisi larvas luctari*. Nam qui mortuos perulanti invasit lingua, turpiter of- fendit, se cum repugnantibus non audere congregi, cum facilis sit, & planè ignobilis pugna, quando- quidem mortui, ut ait ille, non mordent. Nec vel ideo mortuo insultandum, vel de inopinato obitu, aut fati genere remerè judicandum, cum incertum sit, an maleferiatus ille adgressor ante vesperam fati necessitatem sit evasurus. Hinc præcox sententia est, cujus rigorem quisque metuit. Quæ autem in isto maledicendi flagitio summa turpitudine est, ea aliquanto minor, sed à vitii gravitate parum remissior, quando in fœdam proruunt adulationem, quibus decora boni viri laudatio permessa, nec ultra. Eo itaque turpior hæc quoque linguæ licentia est, dum ex publico sæpè sermone cuicumque innotescit, quorsum abripiatur tumidi buccinatoris immodera- ta loquela, dum volunt illos ambitiosâ morte incla-

rescere, quorum gratia prævalet, speciosis quidem
verbis sed re inani. Uti enim in civilibus aliquando pro-
dest illorum uti ingeniis, qui vocis suæ promptitudine
confisi ad persuadendū sunt comparati, quod uti in vi-
ris militaribus gloriosū est, ita in aliis ostentationis &
adulationis gloria vana est, & plurimū auditu mole-
sta. Civilis prudentiæ magister, inter abruptam contu-
maciam, & deforme obsequium medium aliquod sua-
det, quod prudentiores occupare solent, ne gratiæ sus-
pectæ aut odii illiciti suspicionem incurrant. Omnium
itaque rectissimè illi nobis agere videntur, qui viros
doctos & de republicâ bene meritos, dignis qui-
dem, post fata, honoribus laudibusve decorant, nec
ultra: quia prudentis est intra terminos honestatis
continere affectum. Vulnus non ita pridem accepit
nostra Universitas, pariter & nostra Facultas
Juridica, nec minus curia Senatus Urbici, quum ami-
misit Virum Nobilissimum & Consultissimum, Do-
minum HERMANNUM LEMKENIUM, Jurum
& Professore hujus Universitatis celeberrimum,
Facultatis Juridicæ Seniore & Decanum spectabi-
lem, nec non Reipb. Urbicæ Syndicum Amplif-
simum. Qui cum hisce officiis publicis undiquaque
honoratis cum laude & adplausu est functus, mor-
te autem interceptus, propter excellentes ingenii
dotes, triste plerisque desiderium sui reliquit, ex
ordinis nostri dignitate haud discessuri videbimur,
quando exequias ejus hodie parandas, consueto
quo-

quodam programmate, quod eximia hujus viri
virtus, insignis eruditio, rerum agendarum singu-
laris peritia, & collegialis in nos affectus jure me-
rentur, comitamur, & sine odio aut adulatione
decoramus. Gens LEMKENIA, ex qua ori-
ginem suam duxit & cujus pars magna fuit
Collega noster desideratissimus, apud Rosto-
chenses ultra seculum amplissimarum digni-
tatum officiis, in quintam, vel ultra, sobolem flo-
ruit. Natus autem est 29 Augusti Anno 1619. Pa-
trem habuit Virum Prudentissimum & antiquis
moribus laudatissimum Dominum JACOBUM
Lemken Senatorii ordinis præcipuum & Camera-
rium spectatissimum: Matrem autem lectissimam
foeminam ANNAM Gribntzen / HENRICI
Gribntzen Civis primarii filiam. Avus Paternus
ipsi fuit Dominus HERMANNUS Lembe / Sena-
tor clarissimus, cujus Uxor MARGARETA
Beermans / ex nobillissima BEERMANNIANO-
RUM familia. Proavum laudat virum prænobis-
simum & Amplissimum Dominum JACOBUM Lembe
/ Consulem hujus Urbis fulgidissimum, cujus
conjug THALIA Beselns / antiquissimæ & ho-
noratissimæ familiæ decoratissima Matrona. Pos-
sent & plures heic adduci majorum imagines, si
propositi ratio id permetteret, & nisi defunctus
noster plus splendoris in familiam suam intulisset
quam retulisset: majori enim studio semper habuit
fieri

fieri quam nasci clarum. Cum autem vix lucis hujus frueretur usurâ, miseræ humanæ casum, ex obitu suavissimæ matris, quæ post editum partum naturæ cessit, expertus est. Sed quam Deus abstulit matris naturalis sollicitam curam, eam graviter in secundis nuptiis sustinuit | femina virtutum laude Clarissima ANNA Havemans: Isthæc enim, uti erat exemplo conspicua, nequaquam novercæ sed solertissimæ nutricis munia subivit. Itaque a primis infantie annis in verâ pietate & rudimentis literarum virtutumque enutritus, adultior factus in Scholam hujus Urbis trivalem missus, & fidelissimis tunc temporis præceptoribus, Dno M. VULPIO, Dno M. Kteben / Dn. M. MOVIO & Dn. M. Btschoffen / ad studia literarum, quibus natus videbatur, solidius excolenda, commendatus est. Nec parentum vota successus speratus destituit: Nam præclara ejus indoles & ingenii vigor videbantur ætatem præcurrere. Hinc Vir Experientissimus & Amplissimus Dn. STEPHANUS SCHULTETUS, Medicus, Mathematicus, Philologus & Professor hujus Academiæ olim celeberrimus, præclaro juvenis ingenio inlectus, eundem singulari profectus est favore, nec quicquam, quod ad exornandum eum, tam in humaniori litteraturâ quam mathesi, facere videbatur, per integrum biennium, prætermisit. Anno itaque 1638. cum præclara
eru-

eruditionis fundamenta hic jecisset, in Academiã Juliam concessit, quã, per integrum ferè quadriennium commoratus, Viros stupendæ eruditionis, & in omni doctrinæ genere, tam publicè quam privatim sedulò legentes, scil. CALIXTOS, HORNEJOS, WECCIOS, CLUDIOS, LOTICHIOS, HAHNIOS, SCHRADEROS, aliosve haud ultimi commatis viros summã cum assiduitate, & magno studiorum augmento, audivit; interque Philosophiæ studia, præprimis ad sacra jurisprudentiæ penetralia & Matheseos scientiam indefesso studio contendit. Ita, solidæ eruditionis fiducia fretus, in patriam hanc suam anno 1642. reversus, studia feliciter, & cum adplausu singulari, cœpta, ita porro excoluit, ut primum ab Amplissimã Facultate Philosophicã potestatem obtineret abstrusæ Matheseos disciplinæ studiosos erudiendi, ex quo laudabili opere magnum indeptus est honorem. Interim in latifundio Juris occupatissimus, Antecessores & Præceptores, quos hinc nactus erat Consultissimos, sibi que faventissimos, DN. HENRICUM SCUCKMANNUM, NICOLAUM SCHUTZIUM, HENRICUM RHANIUM, & JOACHIMUM SCHNOBELIUM, tanquam splendidissimos Juris Antistites, magnã cum sedulitate audivit illorumque ductu & auspicio vera Jurisprudentiæ principia indefesso labore hausit, & totum veluti Juris prudentiæ orbem perlustravit, Disputationemq; de Servitutibus realibus & personalibus, elegantissimè conscriptam, sub Præsidio Clarissimi Jcti & Professoris Publ. JOACHIMI SCHNOBELII eximiã cum adprobatione, ut, quis tandem, futurus esset, demonstraret, anno 1644. publicè defensavit; Postea se in Argentoratensem Academiam, invitatus præsertim famã, quæ de fulgidissima DORSCHÆI, SCHMIDII, DANHAWERI, TABORIS, BIGCII, REBHANII, & aliorum celebratissimorum Professorum, doctrinã, Europam penemnem peragrabat, contulit; Nec desuit, inter tot clara

B

Sapi-

Sapientiae lumina, vel operae impensae vel itineris suscepti precium. His praemissis nihil quicquam antiquius habuit, quam ut, quod hodie magni fit, peregrinaretur. Perlustratis itaque adjacentibus Provinciis, per HELVETIAE & LOTTARINGIAE oras, in Galliarum Regnum profectus est, & PARISIIS per aliquod temporis spatium, ut in Urbe orbem intueretur, subsistit. Indeque in Belgium delatus, ULTRAJECTINAM & LUGDUNENSEM invisit Academias, ibidemque SALMASIUM qui litteraturae, optimarumque artium Principatum sibi soli vindicabat, nec non SCOTANUM, VINNIUM, & REGNERUM, verae eruditionis & Jurisprudentiae exempla, antea, famam duntaxat & nomine sibi nota, cum admiratione audivit. Confectis hisce peregrinationibus, Anno 1646. multis ornamentis instructus, ad suos feliciter redux factus, Secretarii Universitatis officium, sibi ultero oblatum, modeste suscepit, & egregie exornavit. Eodemque anno, se ordini Jurisconsultorum examinandum stitit, talemque se praestitit, ut sibi, pro summis in utroque Juris honoribus, publice disputandi daretur potestas. Adeoque Disputationem Inauguralem, de Intercessione Feminarum, doctè elaboratam, Junii prudentum disquisitioni submitit. Deinde cum rebus suis familiaribus solus superesse nequiret, de fortunarum Sociam fuit sollicitus, adeoque virgini virtutum claritudine fulgidissima, ELISABETHAE Schnitlers/Viri Spectatissimi & Integerrimi Dni JOHANNIS Schnitleri, Civis primarii & Mariani templi Provisoris fidelissimi filiae, quae hodie pleno luctu acerbisque lachrymis amantissimo marito funeris solennia parat, matrimonii fidem dedit, eamque felici auspicio 21. Julii Anno 1647. domum duxit. Nec fuit isthac discors animorum conjunctio, nec inauspicatum matrimonium, sed quanta sobole beatum; duos enim filios JACOBUM & JOHANNEM, & tres filias, ANNAM ELISABETAM, ELISABETAM & ANNAM laudatissima haecce Materfamilias enixa est, quarum


rum


rum inter filias prima Anno 1653. ex hac mortalitate discescit, reliquæ superstites defunctum Patrem mœstissimè lugent. Magnam autem defuncto humanæ felicitatis argumentum fuit, quando filius natus maximus JACOBUS Juris utriusq; Doctorandus & paternarum virtutum honorumq; æmulus, fratri minori, qui nec degener tanti Patris filius est, sed magnam sui spem facit, exemplo juvat; Filia autem, seu virgines lectissimæ virtutum studio, huic sexui conveniente, se inter certant. Quoniam autem pie defunctus Collega noster ad majora natus videbatur, quam ut in officio Secretarii, ceterum honorato satis, ætatem ageret, sed ad graviora adspiraret, Anno 1647. Gradum Licentiatii Juris, Anno 1653. titulum Doctoris, quia per numeros & gressus honestos ire voluit, suscepit. Eodemque anno in locum memorati Doctoris SCHUTZII, Lubecam discedentis, à Prudentissimo hujus Urbis Senatu Professor Juris surrogatus & anno proximè sequenti in Concilium receptus est. Cum autem ex rerum argumentis excellentem eruditionem & indefessam solertiam, nec non fidem in patriam, magis magisq; probaret, idem Senatus Syndicatus honorem ipsi Anno 1659 decrevit. Illis autem muneribus tanta cum dexteritate atq; fidelitate, in extremum usq; halitum, defunctus est, ut Nobilissimi Professoris & prudentissimi Syndici laudem apud omnes acquisierit, & præclaram sui memoriam, luctumq; debitum omnium animis oculisq; impresserit. Valetudo, quæ mortalibus commodo & ornamento est, ipsi naturæ beneficio satis firma videbatur contigisse, sed eadem nullo quidem intemperantiæ genere, verum cæternis laboribus, in publica illa statione necessariis, sæpius offensa est. Et uti in corpore ægro & peccantium humorum injuriis obnoxio, primus, qui undicunque ingruit, morbus etsi levissimus, facile proximo alterius confortio inualefcit cietque in noxæ societatem latentis mali senti-

sentinam, ita defunctus noster cum primum corporis quamdam infirmitatem sensit, postea, accedentibus diversis Symptomatibus, miserum & tandem internecinum bellum cum valetudine gessit, siquidem illo infelici & duro bello victus, honesta morte die 29 præcedentis mensis succubuit. Nobis quidem integrum non est, de morbi vel mortis genere penitus inquirere, non quasi cum Tiberio eludere velimus Medicorum artes, atque eos qui post tricesimum ætatis annum ad internoscendum corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigent, sed quia isthac indagatio nostræ professionis artem excedit, pariter & instituti nostri ratio & præsens pagina id prohibet, cum & persuasum nobis sit Experientissimos Medicos, quorum ope & consilio in conflictu morbi usus est, id operæ dedisse, ut vis morbi & moriendi necessitas illis, qui id curatius desiderant, innotescat. Cæterum cum illum nobis Collegam fato subductum hodie lugeamus, cujus virtutem & solertiam semper ex merito æstimavimus, & quem, tanquam ordinis nostri Seniozem, & hoc tempore Decanum, Collegiali amore, prosecuti sumus, hoc officium beatis Consultissimi viri manibus debemus, & id nostrarum partium omninò esse credimus, ut solennia funeris, in lachrymas desitura, publico hoc programme prosequamur, communem doloris sensum publicè contestemur, funus honoranda præsentia comitemur & ad idem humanitatis officium omnes litteratos, eâ, quâ decet, observantia, invitemus. Quod dum facimus, Mœstissimæ Viduæ & liberis solatium, ipsique corpori inanimò quietem, & beatissimæ animæ in dulcissimo æternæ salutis sinu latantem, desideratissimam in novissimo die conjunctionem precamur.

Datum Rostochii sub Sigillo Facultatis Juridicæ XVII, Martii Anno M, DC, LXXIV.







tas; vel corporis debilitas, vel animi hunc
cum validum membrorum robur, vel
lenti sermonis audacia, in mortuum ex
quieti manes in forum raptantur. Poly
num acerbè perstrinxisse fertur, quod
Romanorum Tyranni, Imperatoris na
rum indigni, vituperationem scripserit,
turnum, inquit, *si vivum accusasset*. E
nio Pollione Orationes in Plancum, qui
ci mortem in lucem ederet, Plancus
dixit: *cum mortuis non nisi larvas loqui*
qui mortuos perulanti invasit lingua
stendit, se cum repugnantibus non aude
cum facilis sit, & planè ignobilis pugna
quidem mortui, ut ait ille, non morden
ideo mortuo insultandum, vel de inopi
aut fati genere temerè judicandum, cu
sit, an maleferiatus ille adgressor ante v
necessitatem sit evasurus. Hinc præco
est, cujus rigorem quisque metuit. Qu
isto maledicendi flagitio summa turpitu
liquanto minor, sed à vitii gravitate parv
quando in foedam prouunt adulation
decora boni viri laudatio permilla, nec
itaque turpior hæc quoque linguæ licet
ex publico sæpè sermone cuiunque
quorsum abripiatur tumidi buccinatori
ta loquela, dum volunt illos ambitiosâ n

A 3

